

florem proprium terrere, sed Judicis. Hæc Ecclesia Gallicana per Avitum Viennensem. (a)

Probatum secundo ex Comitibus Mediolanensibus anni 1579. in quorum fidei professione hæc habentur: Clerici & Laici aperta professione eam fidem pronuntiant, quam Sancta Romana Ecclesia Magistra, Columna, & firmamentum veritatis proficitur & colit. Ad hanc enim necesse est omnem Ecclesiam, propter suam principalitatem, convenire. Et in fine articulorum eo in Conventu Statutorum: Omnia hæc Sancta Romane Ecclesia, cujus ex præceptis populorum fidelem institui & certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet, iudicio & auctoritati subjicimus. Hoc etiam multo disertius colligitur ex Litteris, quas Anno 1655, dedit Innocentio X. octoginta quinque Episcopi Gallicani, in Comitibus congregati, quibus iudicium Apostolicum de quinque Janfenianis propositionibus humillime postulabant, eo maxime titulo, quod Majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemniter Ecclesia nos esse, quæ fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri jure suo postulat. (b)

Probatum itidem ex Epistola Episcoporum Gallorum ad eundem Innocentium, die 15. Julii 1658. qua summas ei gratias referebant, pro lata in propositionibus Janfenianis damnatione. Ubi sic habent: Perfectum habemus, non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, iudicia pro sanctanda regula fidei a Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, Divina æque ac Summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur; seu suam Episcopi in consultatione Sententiam ponant, seu non ponant. Opponent fortasse nobis nonnulli Apostolica indeficientia criminatores, declarationem de Ecclesiastica potestate, in comitiis generalibus editam Anno 1682. in cujus art. 4. statutum fuit: In fidei questionibus præcipuis quidem Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere; non tamen irrevocabile esse iudicium ejus, nisi Ecclesie consensus accesserit.

Quam vero turpiter hallucinentur, qui talia proferunt, multis evincere facillimum est. Primo enim dubium moveri posset, de quo consensu ferio fiat ubi dicitur nisi Ecclesie consensus accesserit.

Secundo; Conventus ille Episcoporum universam Ecclesiam Gallicanam non representavit.

Tertio; Episcopi ad Conventum illum, ex variis Provinciis deputati, non potuerunt doctri- naliter judicare, quod non essent ad id ipsum delegati, sed ad negotia mere temporalia expedienda.

Quarto; Illi palinodiam sub Innocentio XII. decantant, datis ad ipsum excusationis Epistolis Anno 1692. quibus præmissa pro suscepto recens Pontificatu gratulatoria salutatione, dolere se ex corde profitebantur, ac ultra quam dici potest, quod in Comitibus suis anni 1682. nonnulla statuta fuissent, quæ Sanctitati suæ displicuerant. De qua quidem excusationis formula, Romæ inter Summi Pontificis, & Regis Christianissimi Administratos conventum erat: Eminentissimos scilicet Principes, Franciscum Albani, & Baldinum Panciati, Pontificis nomine, & Casparem Destrees, nec non Tuffanum Jauson de Forbin, nomine Regis.

Quid plura in hujusce sententia confirmationem? Tantas decimoquarto sæculo ea sententia,

(a) Apud Sirmundum tom. 2. epist. 31. pag. 4. (b) Apud Labbeum pag. 1641. tom. 21.

de Romani Pontificis indeficientia, radices in Galliis egerat, ut non Ecclesiasticus & Academicus tantum ordo, sed & Politicus, ea perinde esset imbutus. Cum enim porrecto Clementi V. R. P. libello Anno 1305. petissent Regni Nobiles, ut Bonifacii VIII. memoriam damnaret, ob injurias Regno Galliarum illatas; significaverunt memoriam ejus damnari idcirco posse, quod fuisset hæreticus, & hæreticum esse potuisse, quia verus Papa non erat: addebantque suo illo Libello, Quod ad rem nostram maxime facit: Non quaritur de heresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut private persone. Nec enim ut Papæ potuit esse hæreticus, sed ut privata persona: Nec unquam aliquis Papa in quantum Papa hæreticus fuit.

PRÆLECTIO VII.

Hæc eadem Pontificis indeficientie Sententia pluribus argumentis probatur, ac vindicatur.

Statim hæcenus in proludiis hæsimus, ut celebrari, de Romani Pontificis indeficientia, controversia, statum ac sensum aperiremus: & Academicis Parisiensis, nec non Ecclesie Gallicanæ ea de re sententiam, paucis admodum agnitam, in bona luce poneremus. Tempus est, ut ad rem ipsam veniamus, & ad Pontificis indeficientia probationes accedamus.

Id ut feliciter exequar, multaque paucis complectar, tria potissimum Sacrorum Evangeliorum Oracula commentabor, ex quibus privilegium illud eximium D. Petro, ejusque in Sede Romana Successoribus datum a Christo colligi solet.

Primum extat Lucæ 22. v. 31. Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribretur quasi triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos &c.

Secundum extat Matthæi 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam &c.

Tertium habetur Joannis 21. v. 15. Pasce agnos meos. . . . Pasce oves meas &c.

Primum, rogo vos, serius expendamus. Verfabantur Apostoli omnes in extremo fidei amittendæ periculo, propter scandalum, quod ex Christi morte patiebantur: pro uno tamen Petro Christus orat, ut non deficiat fides ejus; quod quo sine fecerit Dominus, exponit S. Leo Magnus Serm. 3. in Anniversario Die assumptionis suæ, in- quiens; Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis. . . . & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Christus autem a Patre semper exauditus est pro sua reverentia, ut habetur ad Hebræos 5. fateturque ipsemet Patrem alloquens Joannis 11. Ergo autem sciebam quia semper me audis. Quid ergo inde consequitur, nisi quod intulit Augustinus lib. de Correctione & gratia, cap. 8. Cum Christi non posset esse inanis oratio. . . . Quid aliud rogavit, nisi ut haberet (Petrus) in fide libertatem, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?

Nē-

DISPUTATIO V. PRÆLECTIO VII.

Neque obest, quod Petrus pro cuius fidei indeficientia rogaverat Christus, Christum statim in passione negavit. Non enim Christum extremis labiis negando fidem interiore amittit, sed contra præceptum de externa fidei professione peccavit; unde Academia Parisiensis hanc Marci Antonii de Dominis propositionem censura confixit Anno 1615. Petrus pro cuius fide Christus oraverat, forma statim ab illa eadem fide decidit; neque semel, sed sæpius rituravit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti illapsam, quam quidem propositionem erroneam, temerariam, & in Beatum Petrum contumeliosam pronuntiavit Theologicus Ordo.

Ita Patres, ac speciatim D. Joannes Chryso- stomus, S. Ambrosius, S. Leo Papa, S. Prudentius, Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus, Ecu- menius.

Sed & si forte tunc defecisset in fide, Christum extremis labiis negando, nihil id nobis obest, cum nondum tunc a Christo D. institutus esset Ecclesie Caput, ut recte observat D. Hieronymus in cap. 16. Matth.

Ut ab eo argumento, ex Christi D. Oratione petito expediat sese Theologi nonnulli, duo reponere solent: Primo, orasse pro Petro Christum, ne deficeret fides ejus, in ea singulariter occasione Dominica passionis atque in eo præsentis periculo, in quo tunc verfabatur, non pro toto deinceps vita decursum. Secundo, pro Petro singulariter Christum orasse; ad ejus autem in Sede Pontificia Successores minime transiisse privilegium illud indeficientia in fide.

At contra Patres, veteresque Christi verborum Interpretes ad totum Vitæ Petri decursum, & ad Petri, quod notandum magis, in Sede Pontificia Successores universos, fructum Dominicæ Orationis extendunt; impetratum scilicet Christi oratione fidei firmitatem, atque indeficientiam, tam Petro, quam illius Successoribus.

Agatho R. P. in Epist. ad Constantinum Imp. que in 6. Synodo Œcumenica lecta probataque est, post explicatam Ecclesie suæ fidem adversus errores tunc emergentes ita addit; Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia: que per Dei omnipotentis gratiam, a tramite Apostolica traditionis, nunquam errasse probatur, nec Hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed, ut ab exordio fidei Christiane percepta ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata sine tenuis permansit, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi, in Sacris Evangelis factus est. Petre, inquit; Ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla Clementia quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit confirmare eum; fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, maxime exiguitatis prædecessores, considerent scilicet semper, cunctis est cognitum. (a)

Leo IX. Epist. 5. ad Petrum Episcopum: Solus, inquit est ille (Petrus) pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus, & Salvator asserit se rogasse, dicens: Simon, tu es Petrus, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu alii- Jerry Tom. IV.

quando conversus, confirma fratres tuos. Que venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hæcenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei perichlitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit. (b)

Idem Epist. 1. ad Michaelem Constantinopol. Patriarcham cap. 7. Erit ergo, inquit, quisquam tante demeritis, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Numme a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per Successores suos, reprobata, & convicta atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, que hæcenus nec defecit, nec usque in finem deficiet sunt confirmata? (c)

D. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium II. R. P. Oportet ad vestrum referri apostolatam pericula quaque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, que de Fide contingunt. Dignum namque arbitror tibi potissimum reservari damna fidei, ubi non posse fides sentire defectam. Hæc quippe hujus prærogativa fidei. Cui enim alteri aliquando dictum est, ego pro te rogavi Petre; ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri Successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Innocentius III. Epist. ad Archiepiscopum Arelat. unde sumptum est Cap. majores. Majores Ecclesie causas præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui cum quærenti Domino, quem Discipuli dicebant ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus filius Dei vivi: & pro te Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.

Idem Serm. 2. in consecratione Pontificis: Rogavit (Christus) & impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo fides Apostolicæ Sedis in nulla nunquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit: ut Petri privilegium persisteret inconvulsam.

Et Epist. 209. ad Patriarcham Constant. Pro Petro Dominus se orasse fateatur; ex hoc innuens manifeste, quod Successores ipsius, a fide Catholica nullo unquam tempore deviant, sed revocant magis alios, & confirmant etiam hesitantes; per hoc sic confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.

Oraculum alterum ex Evangelio petitur, ad Judicii Pontificis indeficientiam comprobandum illud est: Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. Quo circa duo hic sunt ponderanda: Primo, quod super Petrum edificata dicatur Ecclesia, tanquam super firmissimam petram: Secundo, quod adversus eam porta inferi non sint prævalitura. Porro portarum inferni nomine hæreses & hæresum conditores intelliguntur, ex D. Epiphano in ancorato pag. 354.

Et hic quoque suffugia duo sunt, quæ recentiores aliqui Theologi querant: Primo: Verba hæc, Porta inferi non prevalebunt adversus eam, ad Ecclesiam duntaxat referri, non ad petram, supra quam ea dicitur edificata. Secundo: si forte verba hæc referantur ad Petram, pecculitate fuisse Petro, ut in eum porta inferi prævalere nequiverint; ad ejus tamen Successores Romanos Pontifices minime privilegium illud transiisse.

Verum; Quod primum effugium attinet: respu-

(a) Apud Labbeum Tom. 7. pag. 662. (b) Apud Labbeum Tom. 11. pag. 1345. (c) Apud Labbeum Tom. 11. pag. 1323.

pugnant Ecclesie Patres prioris ætatis, & utriusque Ecclesie, tam Latine, quam Græcæ, tam finitro interpretamento. Origenes, Aggultinus, Epiphanius, Leo Magnus, Gregorius itidem Magnus, quorum omnium Sententia hæc una est, ab Origene primò expressa Homil. 1. in Caput 16. Matth. Manifestum est, quod nec adversus Petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam, que ædificatur super hujusmodi Petram, porta prævalentium inferorum. Cujus quidem ratio invidiæ est. Ex quo Petrus, seu Petra illa mystica Ecclesie fundamentum est, prævalere contra Petram inferorum portæ non possunt nisi & contra Ecclesiam prævalent: Diruto quippe fundamento, ruere ædificium necesse est. Cæterorum vero Patrum testimonia hæc sunt: S. Augustinus in Psalmis contra partem Donati: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbe inferorum portæ.

S. Epiphanius in Ancorata, Petrus Spiritum S. nobis patefecit. Sic enim qui inter Apostolos primus esset, consentaneum Orat: Solida inquam illi petre, supra quam Ecclesia fundata est, & cui portæ inferi non prævalent.

S. Leo Epist. 34. ad Marcianum Augustum cap. 3. Nec præter illam Petram quam Dominus in (Ecclesia) fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.

Et Epist. 75. ad Leonem Augustum cap. 2. Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis Petre ædificationem facta sit Petra, & primus Apostolorum Beatissimus Petrus voce Domini audierit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quis est, nisi aut Antichristus, aut Diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem?

S. Gregorius M. lib. 7. Registri Epist. 40. Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum principio soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a Petra vocaretur? Cui Veritatis voce dicitur: Tibi dabo claves Regni Cælorum.

Effugium vero alterum præcludunt Patres numero longe plures, qui Divi Petri mysticæ illius Petre firmitudinem, ad illius perinde successores Romanos Pontifices transiisse, atque in iis perennare, probant. Patres hoc in ordine laudandi sunt.

S. Cyprianus lib. de Unit. Ecclesie; Qui Ecclesie venitur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?

Et Epist. 55. ad Cornelium; Cathedra Petri Ecclesia principalis, unde Unitas Sacerdotalis exorta est. . . Romani, quorum fides Apostola prædicante laudata est, ad quos perfidia accessum habere non potest.

S. Leo Magnus Serm. 2. in Anniversario assumptionis sue; Soliditas illius fidei, que in Apostolorum principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Christus instituit.

Simplicius R. P. in Epistola ad Acacium, quam refert ac probat Gelasius alter R. P. Quæ ratione aliis sedibus deferendum erit, si primæ Beatissimi Petri sedi antiqua & vetusta reverentia non deseritur? Per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorum decem & octo Patrum iuribus & singulari iudicio ve-

tissimus iudicatus est honor; Utrique qui Domini recordantur Sententia. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Posseor Episc. Africanus in Relatione ad Hormisdam R. P. A quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus sedis præside, cujus primus rector a Christo auditus: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. (a)

Joannes Episcopus Constantinop. in Libello professionis fidei ad Hormisdam R. P.: Non potest Domini nostri Jesu Christi prætermissi sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc que dicta sunt, rerum probantur effectibus: Quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur Religio. . . In qua (Sede Apostolica) est integra Christiane Religionis, & perfecta soliditas. (b)

Sergius Episc. Cypri Epist. ad Theodorum R. P. que lecta est & probata in Concilio Lateranensi anno 645. sub Martino I. Firmamentum fidei, fixum & immobile posit Christus Apostolicam vestram sedem. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, & super fundamentum tuius Ecclesie Columnæ confirmata sunt: tibi & claves Cælorum commisit: Tu propbanarum Hæresicon destructor existis; Tu Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculate fidei.

S. Maximus Martyr in Epist. ad Marinum presbyterum Cypri: Ab initio enim quando ad vos Dei Verbum assumpta Carne descendit, unicum basin ac fundamentum habentem fidei sue Christiani omnes, Romanam Ecclesiam, adversus quam juxta Salvatoris vocem portæ inferi handquam prævaluerint. . . In hanc velut in solem sempiternæ lucis respiciunt universi.

Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Epist. ad Nicolæum I. Post relata Christi D. verba ad Petram dicta addit: Hujusmodi enim beatas voces non solum Apostolorum Principi privata quadam sorte transcripsit, & signavit, sed per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successores transmissit. Hinc retro olimque semper, cum hæreses & scelera pullularent, noxias illas verbas, & rixantia Apostolicæ Sedis vestre successores extirparunt. (c)

Belsarion Patriarcha Constantinopolitanus in Epist. encyclica ad omnes sui Patriarchatus Episcopos: Si doctorum nostrorum Libros evolueritis, invenietis Romanam Ecclesiam supra Cæteras omnes potestatem habere, & ita universæ præesse Ecclesie, ut absque ejus auctoritate, nulla prorsus Ecclesiastica questio solvi, nullum dogma concludi possit aut debeat. . . hæc fidem Petri tenet, & prædicat: Hæc sola est, adversus quam portæ inferi non prævalent.

Tertium Oraculum Evangelicum, ad iudicii Pontificii indeficientiam probandam, istud est, Joannis 21. Pascite agnos meos. . . Pascite oves meas. Quo ex loco ita licet in gratiam Pontificie infallibilitatis disputare.

Petrus a Christo D. datus est pastor universalis Ecclesie, Agnorum scilicet, & ovium, hoc est, ut Patres interpretantur, atque rectorum; seu Episcoporum: Ut Ecclesiam universam pascat, verbo Doctrinæ. Id porro apte commodeque fieri nequit, si & ipse falli in Doctrina fidei ullo modo potest. Sic enim gregem universum in pascua veneno imbuta duceret; Cæcusque Cæcos secum duceret universos.

Debit autem & hoc privilegium ad illius successo-

cessores extendi. Cum enim Domini Grex, seu Ecclesia, ad finem usque mundi sit duratura, debent Petri successores ad finem usque mundi universam Ecclesiam pascere verbo Doctrinæ.

Neque obest si dixerit: Cæteros etiam Apostolos, Ecclesie Pastores a Christo perinde esse datos. Imo & Episcopos universos Christi gregem debere pascere, quin idcirco inde colligatur illos in doctrina fidei errare non posse. Non id inquam obest: Duplex quippe discrimen est: Primum, quod Petrus agnos & oves, Cæteri oves tantum pascere debeant: Romanus Pontifex gregem universum, Episcopi gregis partem tantum, que illis obtigit, pascere, & erudire teneantur. Secundum discrimen: quod Petrus aut Pontifex pastor supremus sit; Apostoli cæteri & maxime Episcopi, Pastores sint subalterni. Hinc ratio oritur duplex, cur in Petro Romanisque Pontificibus indeficientia in fide desideretur omnino, non itidem in Episcopis: Primo quia error Episcoporum facile potest a Pontifice emendari; gregis averti, ne ad infecta veneno pascua, ab errante Episcopo proposita, deducatur. Secundo quia error Episcopi in errorem non traheret universam Ecclesiam, sed eam duntaxat illius partem, quam pascendam accipit.

Peculiarem pascendi Dominici gregis curam, Petro supra cæteros Apostolos datam esse, inde liquet, quod is ante a Christo sit interrogatus, an ipsum plus cæteris Apostolis diligeret: Simon Joannis diligis me plus his? Frustra enim majorem in eo, quam in cæteris Apostolis desiderasset amorem, nisi majorem illi quam cæteris Apostolis præferatur esset collaturus. Qui majus exigit meritum, majus quoque daturus est premium. Id Patres apertissime docuerunt. S. Ambrosius in Caput ultimum Luca hæc ipsa verba exponens; Et ideo quia solus (Petrus) profiteretur ex omnibus, omnibus antefertur.

S. Leo Epist. 89. Cui (Petro) cum præ cæteris solvendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialis mandata est.

Et Serm. 3. in Anniversario suæ Assumptionis: Petro enim ideo hoc singulariter dicitur, pascite oves meas, quia cunctis Ecclesie rectoribus, Petri forma proponitur.

S. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses Cap. 3. de Ecclesia Romana loquens; Ad hanc enim Ecclesiam propter potorem principalem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, que est ab Adolis Traditio.

Ex hac ipsa generali Cura pastorali Petro concessa, Romanorum Pontificum fidesque Apostolicæ in fide indeficientiam, Ecclesie Patres ipsi collegerunt.

Simplicius R. P. Epist. 4. ad Zenonem Imperatorem: Perstat enim in successoribus suis hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovibus injunxit, cui se usque ad finem sæculi minime desaturum, cui portas inferi nunquam prævaliturus esse promisit; cujus sententia que ligantur in terris, solvi testatus est non posse nec in celo. (a)

S. Petrus Chryologus in Epist. ad Euthyherem, quæ refertur 1. parte Concilii Chalcedonenis num. 15. apud Labbeum Tom. 4. pag. 802. In omnibus autem botantur te, frater honorabilis, ut his, que a Beatissimo Papa Romano Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet, præstat querentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio Serry Tom. IV.

pacis & fidei, extra consensum Romane Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.

Tribus illis capitalibus probationibus Pontificie indeficientiæ, addi & altera debet, quæ mihi quidem decretoria atque ineluctabilis visa est pro Pontifice judicante de Consilio & consensu Ecclesie suæ Romanæ, in qua specialiter sedet.

Ecclesia enim Romana in qua specialiter sedet R. Pontifex, tota retro antiquitate a Patribus & Conciliis acclamata est, omnium Ecclesiarum Mater atque Magistra. . . Centrum Unitatis Ecclesiasticæ. . . Ad quam omnes Ecclesias necesse sit convenire; ad quam perfidia accessum habere non possit; quam non vincunt superbe inferorum portæ: Unde Sacerdotalis unitas omnis exorta est. Quibus loquendi formulis abundat D. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesie, S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses Cap. 3. S. Hieronymus Epist. 14. ad Damasum, Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, S. Augustinus Epist. 43. & in Psalmis contra partem Donati, S. Bernardus lib. 2. de Consideratione Cap. 8. Concilium Lateranense sub Innocentio III. Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3. (b) Equa enim forte omnium Ecclesiarum Mater atque Magistra a Deo data erraret in fide; illa inquam ad quam perfidia accessum habere non potest? Aut quo factò centrum unitatis Ecclesiasticæ ab ipsa unitate decideret; illa inquam ad quam omnem Ecclesiam convenire necesse est? Uti profecto necessario decidit, quibus ab ea decidit fide, quæ omnium Ecclesia membrorum vinculum est.

Reponet fortasse nonnemo, ut ineluctabilis hujusce argumenti vim ac robur elidat: Romanam Ecclesiam tot illis titulis a Patribus & Conciliis honestatam, non illam intelligi, quæ Romæ ambitu continetur, sed illam duntaxat esse; quæ toto terrarum Orbe diffunditur; quæque Romana & ipsa dicitur communione, non locali circumscriptione.

At inepte prorfus atque incite. Quandoquidem non potest Ecclesia, ut est toto Orbe diffusa, cæterarum, quæ præter ipsam nullæ sunt, mater dici atque Magistra: nec potest tota Ecclesie Universalitas, peculiarium Ecclesiarum centrum vocitari. Uti profecto linea simul omnes, peculiaris cujusque linea centrum esse non possunt: nec potest quis sui ipsius pater esse atque Magister. Ut sileam, Patres ex citatis bene multos, tacito Ecclesie Romanæ nomine, Petri Sedem, Ecclesiarum omnium matrem atque magistram, centrumque unitatis Ecclesiasticæ nuncupare; quo nomine Romanam Ecclesiam denotari nemo non videt, nisi qui in calcaneo oculos gestat.

Idcirco in Concilio Complutensi a Sixto IV. confirmato, damnatus est Petrus Oxomenis etiam ut hæreticus, eo quod asseruerit Ecclesiam Urbis Romæ errare posse. Quem item errorem, eodem quoque hæresis nomine damnavit Sixtus idem in Extravaganti, adversus eundem Petrum Oxomenem edita: ut refert Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 7. Ex quibus omnibus eam ego consecutionem elicio: Ubi Pontifex, Ecclesia urbis Romæ assente, consiliumque dante, pronunciat, errare omnia non potest: aliter cum Pontifice erraret & ipsa.

Ultima tandem, pro infallibilitate Pontificia, probatio petitur ex Clementis VI. fidei formula Armenis exhibita. Cum Armenorum Catholicus seu Patriarcha Præfulesque cæteri, veteres errores, juxta formulam a Benedicto XII. præscriptam ejurassent; Ecclesiamque Romanam solam

(a) Apud Labbeum Tom. 5. pag. 661.

(b) Apud Labbeum Tom. 5. pag. 622.

(c) Apud Labbeum Tom. 5. pag. 661.

(a) Apud Labbeum Tom. 5. pag. 98.

(b) Apud Labbeum Tom. 13. pag. 938.

esse Catholicam, solumque Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habere professi essent; Clemens VI. de illorum salute pie sollicitus, explicatorem primatum Pontificii professionem ab eis exegit, datis ad eosdem Epistolis, quibus illos de quatuordecim doctrinæ Capitibus interrogabat, subscriptionemque postulabat, si vellent Romanæ Ecclesiæ integre confociari. Horum quantum sic habebat: *Si credidisti & credis, quod in tantum fuerit, sit, & eris suprema, & præeminens auctoritas, & iudicia potestas Romanorum Pontificum, qui fuerunt, nostri qui sumus, & illorum qui in posterum erunt, ut a nomine iudicari poterint, poterimus, neque in posterum poterunt, sed soli Deo iudicandi servari fuerunt, servemur, & servabuntur: Et quod a sententiis & iudiciis nostris non poterit, neque possit, nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari.* Decimum tertium sic asseritur: *Si credidisti, & adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem athenicam, cui sit invariabiliter adhibendum, finem imponere, & esse verum, & catholicum quicquid ipse auctoritate clavium sibi tradiderit a Christo, determinat esse verum: & quod determinat, esse falsum & hereticum, sit censendum.* Totum hoc fertur ab Oederico Raynaldo in Annalibus ad Annum 1357, pag. 312.

Ad rectam ergo primatum Pontificii professionem pertinere censuit Clemens VI. quod in ferendo de fide iudicio falli & fallere nescius credatur Romanus Pontifex.

PRÆLECTIO VIII.

Diluantur adverse Sententiæ momenta, ab errantium ut putant Pontificum exemplis petita.

Nihil est tam validis demonstratum argumentis, quod si adit ingenium impugnari non possit, inquit D. Augustinus; nihil ergo mirari subit, quod Romanorum Pontificum in facienda fide indeficientiam tam acriter impugnari ætate nostra videamus, quam tot argumentis, illique profus invidiis, in antea dictis relectionibus demonstravimus. Accermis quippe impugnantibus nec deest ingenium nec industria.

Id ut præstent, momentis ex facto petitis maxime pugnant. Pontificesque errare in fide posse, ostendere fatigunt, quod re ipsa in fide sæpius errarint.

Ea porro errorum Pontificiorum exempla, alia quidem in ipsomet D. Petro RR. Pontificum primo; alia in secutis RR. Pontificibus quarunt, quæ omnia modo diluamus oportet, ne quid ultra desiderari a nobis possit.

Et quidem quæ Petrum ipsum facta contingunt, ut errasse illum in fide nobis ostendant, duo vulgo jactantur, quorum unum abunde data pridem occasione diluimus, alterum nullo negotio diluimus.

Opponunt itaque loco primo, Petrum ipsum, cui a Christo D. datum fingitur indeficientiæ privilegium iis verbis, *Rogavi pro te Petro, ut non desiciat fides tua Luca 22.* illico in fide desecisse, dum Christum se nocte in passione negavit.

Duo ad id, in antea dictis Relectionibus reposuimus. Primo, Petrum fidem tunc non amisisse; sed ob non factam publicam fidei professionem peccasse; negavit enim non ex infidelitate, sed ex pusillanimitate, & timiditate.

2. Nondum tunc dum Christum negavit, fuisse re ipsa constitutum Caput: Hoc est, in possessione primatus sui, quem illi Christus adpromise-

rat, non tamen re ipsa contulerat: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum, non tibi do.* Tertio addi modo potest, Infidelitatem illam Petri, si qua re ipsa fuit, private duntaxat perfunctam fuisse, non publicam, & ex tribunali pronunciantis.

Opponunt secundo loco, Petrum post Christum in Cælo assumptum, ac dum postquam in primatus sui possessionem venisset errasse in fide: (qua de causa fuerit a Paulo increpitus.) Genesque judicare cogisse: factum refert Paulus ipse *Epist. ad Galatas cap. 2.*

Responsio in promptu est, Petrum hac in occasione in fide non errasse, aliquid contra fidem statuendo aut decernendo, aut etiam operando; sed imprudenter agendi ratione deliquisse; ex qua scandalum pati poterant gentiles ad fidem recens conversi: seu ut expeditius loquitur Augustinus, *Epist. 9. & 19.* ad Hieronymum, peccasse Petrum imprudenter conversatione, non falsi predicatione; quam ob causam fuit a Paulo increpitus, non ut violata fides redintegraretur, cujus nulla erat facta iactura. Ut quid enim Petrus Ecclesiæ fidem circa legalium observantiam, aut ignorantiam, aut violatam, qui Decreti ea de re editi in Concilio Jerosolymitano auctor ac princeps fuerat?

Relicto Petro ad Petri successores sermonem convertunt adversarii; quos inter magno numero fuisse contendunt, qui fidem etiam lato ex tribunali iudicio violant. Primus illis occurrit Victor I. R. P. sæculo secundo cadente, quem Tertullianus memorat, insanas Montani, Priscæ & Maximillæ prophetias approbasse; pacifice litteras Ecclesiis Asiæ & Phrigiæ destinasse, ut falsos illos prophetas in suam Communionem, tanquam erroris scelerisque puros, reciperent. Ita enim Tertullianus refert ipso statim initio libri contra Praxeam.

At nemo est qui nesciat unum tota retro antiquitate fuisse Tertullianum, qui probrum illud cuidam Romano Pontifici affricerit: Cui utpote Montanistæ jam facta nulla est adhibenda fides: maxime cum nullum distincte Pontificem ex nomine appelleret qui id egerit. Unde Victorem ab eo indigitatum aliqui putant, alii Eleutherium, alii Zephrinum.

Respondeo 1. Id si fecit Pontifex aliquis, quod retulit Tertullianus; fecisse certo liquet falsis de Montani doctrina relationibus circumventum: atque ita errore facti, sibi mala fide renunciari deliquisse, non errore juris, fanaticos prophetas approbasse. Maxime cum ipsemet Tertullianus fateatur, P. Pontificem, *proposuisse* duntaxat pacis litteras dare, non re ipsa dedisse; aut certe datas incircumspecte, ultimo retractasse, novis a Praxea documentis melius informatum.

Sed est alterum longe gravius, quod ex Victore I. Pontificatu argumentum eliciunt adversarii, adversus Romanorum Pontificum indeficientiam; ex historia nempe dissidii, secundo cadente sæculo enati, inter Victorem R. Pontificem, & Polycratem, ceterosque Asiæ Minoris Episcopos de die Paschatis celebrandi. Non quidem ut probeat Victorem R. P. ea in occasione in errore contra fidem versatum esse, absit: sed ut ostendant Ecclesiam Asiæ Minoris non existimasse tunc temporis, Victorem R. P. esse infallibilem; cum ejus iudicio ea causa solemniter lato, totis viribus repugnaverit: ita siquidem argumentantur. In ea prægravi Controversia, quæ ea ætate temporum vertebatur, esset ne Pascha more Judaico, Luna ipsa Martii quartadecima, an die Dominico subsequenti celebrandum; Ecclesia minoris Asiæ universa priorem secuta morem Judæorum Victoris R. Pontificis decretis obfirmato animo restitit; quamquam

quam is Apostolica auctoritate, & ex sacro tribunali sequenti die Dominico Pascha celebrandum edixisset, bruta etiam fulmina Asiaticis comminatus, nisi a pristino more discederet. Non ergo Romæ Pontificem in ferendo solemnii iudicio infallibilem habebat Asiæ minoris Episcopi universi, viri alias & pietate summi, & doctrinæ fama spectatissimi; qui Decretis Pontificis paruisent, si infallibili auctoritate edita credidissent.

Argute sane, sed nihil ad institutum, cum de re ad meram disciplinam, non item ad fidem spectante, quæstio tunc moveretur. Ideo enim Victoris iudicio repugnabant Asiatici, non quod illum errasse iudicandum crederent; sed quod sibi licitum existimarent, aliam ab Ecclesia Romana disciplinam servare; quam se ab Evangelista Joanne accepisse gloriantur.

Idem ferme argumentum petunt adversus RR. Pontificum indeficientiam, ex historia dissidii sæculo tertio oborti inter Stephanum I. R. Pontificem, & D. Cyprianum Episcopum, ceterosque Episcopos Africanos de rebaptizandis hereticis. Non quidem ut ostendant, Stephanum I. in ferendo iudicio, aliquid contra fidem sanxisse; sed ut evincant, D. Cyprianum universamque Ecclesiam Africanam in variis Conciliis congregatam, Stephanum I. in ferendo iudicio fallibilem existimasse; cum ejus iudicio de hereticis non rebaptizandis obstitit diu, ac repugnavit.

Cui perinde reponimus, D. Cyprianum ceterosque Episcopos Africanos, existimasse tunc primum quæstionem de rebaptizandis hereticis ad meram disciplinam spectare; nequaquam ad fidem; in qua liberum cuique esset in praxi eum ritum servare, quem a majoribus accepisset, atque adeo nihil mirum si decreto Stephano R. P. obstitit: quod nempe putarint Ecclesiam toto orbe diffusam non omnino teneri, ad Ecclesiæ Romanæ disciplinam in omnibus amplectendam, etsi ad ejus fidem communiter proficiendam teneretur. Unde D. Cyprianus in *Epist. 72.* ad Stephanum data suo & Synodi Africanæ nomine aiebat: *Scimus quosdam quod semel inbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis, & concordie vinculo, quadam propria, que apud se semel sunt usurpata, retinere, qua in re nec nos vix cuiquam facimus, aut legem damus. Quando habet in Ecclesiæ administratione voluntatis sua arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.*

Instant nihilominus adversarii: D. Augustinus D. Cyprianum ceterosque Africanos excusat, propterea quod sententia ab ipsis propugnata, non fuisset in Concilio plenario ventilata atque damnata, utcumque fuisset a Stephano R. Pontifice solemnii Decreto proscripta: In solo ergo Concilio plenario putavit esse indeficientem damnandi erroris auctoritatem, cui soli repugnare nefas esset.

Repono, D. Augustinum excusare Cyprianum duntaxat ex parte & comparatione Donatistarum; qui etiam post Concilii Nicæni, & Arelatenfis repetita iudicia in eodem versabantur errore; non excusare tamen ex integro. Imo potius D. Cyprianum repugnantiam in amplectendo Stephani I. iudicio, navum in Viro Sanctissimo fuisse docet *Epist. 48. ad Vincentium*, qui ardenti deinceps charitate, & martyrii falce amputatus est, atque correctus. Hanc correctionem a D. Cypriano ceterisque Africanis Episcopis factam testatur D. Hieronymus *lib. 2. Dialogorum contra Luciferianos.*

Urgent nihilominus adversarii: Stephanus I. lato Decreto in extremum errorem incidit, Afri-

canorum errori e diametro repugnantem; eorum scilicet hereticorum baptismum probando, ratumque pronunciando, qui legitimam baptismatis formam violabant. Quod quidem vitium Stephanus, suppresso tamen nomine, D. Cyprianus exprobrat *Epist. 73. Quomodo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus gentes baptizari jubet in plena & adunata Trinitate.* Quin etiam fatetur id ipsum Benedictus XII. in Opusculo contra Fratricellos edito, ubi expresse ait, Stephanum Pontificem in extremum errorem edito Decreto incidisse; *Conciliumque Nicænum opinionem & S. Cypriani, & Stephani Papæ corripisse; determinando quod baptizati ab hereticis non servantibus formam Ecclesiæ, venientes ad Ecclesiam baptizantur; ab aliis vero hereticis baptizati non rebaptizantur.*

Respondeo; Ita quidem ex lato Stephani Decreto collegisse Cyprianum, eo actu disputationis abreptum, utque illius iudicio constaret invidiam; sed minus vere. Cum enim generatim & indistincte dixisset Stephanus lato decreto, *Nihil innovetur nisi quod traditum est, ut quicumque, & ex quacumque heresi venerit, ut manus illi imponantur in penitentiam.* Cyprianus consequens esse existimavit, ut quorumcumque hereticorum baptismum indistincte probasset; atque etiam illorum, qui in plena & adunata Trinitate, ut Christus iusserat, non baptizant. Nec satis animadvertit, Stephanum I. in ea cum Africanis mota lite, id semper pro certo posuisse, baptismum verbis Evangelicis conferri debuisse, ut validum esset. Quod ex ipso Firmiliano S. Cypriani Collega dilerte colligitur, *Epist. 74.* ubi Stephani mentem hinc verbis exponit. *Non putat, inquit, querendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus est gratiam consequi poterit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus S.*

Benedictus XII. Id ex suo non dixit, sed ex D. Cypriano derivavit. Nec erat Romanus Pontifex dum illud contra Fratricellos opusculum edidit, sed privatus duntaxat Theologus; Joannes Furnerius nuncupatus.

Urgent præterea: dum D. Cyprianus Stephanum I. Decretum perperam interpretatur, existimavit eum in contrarium profus errorem incidisse omniumque hereticorum baptismum probasse; tunc sane pro certo supposuit, posse Romanum Pontificem in errore incidere lato solemnii Decreto. Nisi enim id posse contingere supposuisset, id re ipsa contigisse non existimasset in Stephano I.

Sic sane, inquit ego, Cyprianus ita supposuit, potuisse Stephanum I. lato Decreto in errorem prolabi; aut quia putavit, eum ex Tribunali, sententiam non tulisse (quo casu certe errare posse Pontificem non negamus;) aut quia quæstionem ab eo definitam, putavit esse meræ disciplinæ, non fidei; ut suam ipse mentem aperuit *Epistola paulo ante laudata.*

Dicent forte: Qui fieri potest, ut Cyprianus vir talis ac tantus existimaverit, Stephanum I. Sententiam non tulisse ex Tribunali; cum ex ipsis Decreti verbis planum esset, ipsum Contraversiam illam totam pro potestate dirimere voluisse; Eamne poterat pro potestate definire, nisi ex tribunali pronunciarer? Qui etiam fieri poterit, ut errorem suæ Afrorumque sententiæ ex diametro repugnantem, in quem incidisse Stephanum dicitur [non esse scilicet baptizandos,] ad meram disciplinam spectare putaverit; cum sit ille

ille dogmatis error omnium patentissimus? Hæreo, fateor, nec melius habeo quod reponam; nisi Cyprianum quidpiam passum esse, in ea quam habuit cum Stephano I. lite gravissima, ut falsus est D. Augustinus. Quare ex inconsideratione, & in æstu disputationis, ad hæc fati tunc non attendit; ad quæ animo diligentius applicuit, dum errorem primum imbibitum, (quod de tali viro æstimandum est) tandem aliquando correxit, ut loquitur Augustinus *Epist. 8. ad Vincentium Donatistam*. Maxime cum fidem faciat Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos, illos ipsos Episcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos, necum emisisse Decretum.

Marcellinus R. Pontifex, in Pontificiæ deficientiæ probationem inducitur, quem anno circiter Christi 302. in persecutione Diocletiana thura Idolis adolevisse ajunt in Templo Isis & Vestæ, ut refert Baronius in Annalibus.

Factum tamen, relicto Baronio, communi nunc eruditorum consensu negatur; quod a Petiliano Donatista malo animo fictum esse monet D. Augustinus *lib. de unic. Baprisimo cap. 16.* Marcellini lapsum in persecutione Diocletiana commentum probant: primo silentium veterum omnium Scriptorum, qui Romanorum Pontificum gesta descriperunt. Secundo inanis Donatistarum labor; qui cum factum illud ad Marcellinum R. Pontificem deprimendum, Catholicis objecissent, nunquam tamen probare potuerunt, qua ratione D. Augustinus loco laudato de Petiliano hujus fabulæ inventore ajebat: *Ipse sceleratum & sacrilegum fuisse dicit, ego innocentem fuisse respondeo: quid laboro probare defensionem meam, cum ille nec tenuerit probare conatus sit accusationem suam?* Tertio repugnantia circumstantiarum, quibus factum illud adornant recentiores fabulatores: celebratæ scilicet Synodi numerossimæ Sinuesana, ad Marcellini causam ventilandam, judicandamque &c.: de quibus legi possunt, qui historiam hanc ætate nostra pertractarunt, Bollandi Continuatores, Tillemontius, Natalis Alexander, & Pagius.

Sed etiam factum admittentem, nihil inde contra Romanorum Pontificum indeficientiam, qualem in præsentia defendimus, posset extendi Pontifices enim volumus falli nescios, ubi de fide ex Cathedra, ut loquuntur, seu e Sacro Tribunali sententiam dicunt, pro conditione Pontificis Maximi. Ecquis autem ita desipiat, ut Marcellinum e sacro Tribunali, thura idolis adolevisse sibi fingat? Id si fecit, non fecit ut Pontifex, sed ut homo circumdatus infirmitate, ut loquitur Paulus.

Liberii R. Pontificis lapsum altius exaggerant Pontificiæ indeficientiæ impugnatores. Is etenim, (quantum ex D. Athanasio, D. Hilario, & D. Hieronymo colligi potest,) triplici ex capite peccavit contra fidem Divinitatis Christi, & in Arianismum lapsus est: Primo, quod Ariane fidei formulæ Sirmiensi subscripserit: Secundo, quod S. Athanasii Catholicæ fidei defensoris acerrimi damnationi perinde subscripserit: Tertio, quod cum Ariane partis Episcopis communicaverit.

Perperam tamen. Liberius quippe nec Arianus hæreticus re ipsa fuit; nec Christi Divinitatem corde & animo negavit, quamquam Arianorum artibus deceptus, nonnulla tentavit imprudenter, quæ illum officio defuisse suo, plus fati probant. Ariane fidei formulæ, quæ & Sirmiensis dicta est, tandem aliquando subscripsit, non quæ Christi Divinitatem negaret aperte, sed quæ vocem *consubstantialis* simpliciter reticeret. Idque ideo fecit, quia fidei summam ea in voce non

stare existimabat, quæ pravo etiam sensu a multis accipiebatur: Christique Divinitatem, ejusdemque cum æterno Patre æqualitatem teneri, doceri, credique posse arbitrabatur, ea misa tacitaque *consubstantialis* voce, rixarum jurgiorumque plenissima, quæ idcirco pro bono pacis omitti posset, in edenda fidei professione. S. Athanasii damnationi subscripsit etiam, quod ejus causam a fide sejunctam crederet; eumque damnatum arbitrareretur, ob delicta ad mores & externam Ecclesiæ disciplinam spectantia. Cum nonnullis tandem Ariane partis Episcopis communicavit, utique deceptus ab iis, qui Ariam ipsam damnare se simulabant.

Sed etiam daretur, Liberium in tota illa ludenda scena, Ariane hæresi subscripsisse, atque in eam corde & animo consensisse: non inde consequens foret, Romanum Pontificem (quod nunc maxime queritur) falli posse, in ferendo solemniter de fidei iudicio. Quidquid enim egisse, quidquid subscripsisse Liberius dicitur, egit, subscripsitque in exilium actus ac pulsus, minis unidique perterrefactus, pristinaque libertatis recuperandæ desiderio fractus ac victus. Qua vero forte in eorum concursu, summa libertas, matura deliberatio, Liberii gestis accessere, ut solemniter atque ex Cathedra Ariane hæresi subscripsisse dici possit?

Momentum non leve petunt adversarii, adversus Romanorum Pontificum indeficientiam, ex iudicio Romæ lato a Melchidae Pontifice Summo, una cum assidentibus Episcopis decem & octo, tribus scilicet ex Gallia, quindecim ex Italia contra Donatistas, in gratiam Cæcilianum. Cum enim ab eo Melchidae iudicio appellasset Donatistæ, Constantinus Magnus, Arelatense Concilium indixit, ut in numerosiori Patrum Conventu (ducentorum scilicet Episcoporum, ut asserit Augustinus *lib. contra Epist. Parmeniani*) expenderetur, recte ne Melchidae iudicasset, & Cæcilianum absolvisset. Adeo scilicet illis jam temporibus æstimatum erat, posse R. Pontificem, in ferendo solemniter iudicio, aberrare. Quin etiam eam Donatistarum appellationem, justam habuit D. Augustinus; & iudicium Melchidae cæterorumque Episcoporum, a plenario Concilio reformari potuisse existimavit *Epist. 162.* Ecce, inquit, *ponamus eos Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non fuisse bonos iudices; restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti fuissent, eorum Sententiæ solverentur.* Igitur R. Pontificis iudicium solemniter etiam cum assidentibus Episcopis latum, falli potuisse, ac etiam corrigi & reformari a plenario Concilio debuisset censuit Augustinus, censuit & Constantinus. Imo censuit Arelatense ducentorum Episcoporum Concilium, in quo Cæcilianus causa retractata est. Uno statu tota ea machina disturbatur; si videlicet obervetur Causam, quæ tunc movebatur, non juris & dogmaticæ fuisse, sed facti, & quidem privati, ac mere personalis; in quo non modo Pontifex, sed & Concilia generalia errare possunt & ab aliis emendari. Querebatur enim an Felix Aptungitanus Episcopus, Cæcilianum ordinator, Sacros Libros infidelibus tradidisset? an etiam Cæcilianus elemosynas subtraxisset, quas pia fidelium liberalitas Confessorum victui destinaverat.

Adderem etiam Donatistas pro summam injuriam a Melchidae iudicio appellasse; & Constantinum Imperatorem repugnantem animo Arelatense Concilium, ad novam Causæ examen, dedisse, Donatistarum importunitati cedendo. Ita D. Augustinus *Epist. 162.* *Dedit aliud Arelatense Concilium; non quia necesse erat, sed horum importunis clamoribus cedens, & omnimodo cupiens tantum insolentiam cohibere.*

clamoribus cedens, & omnimodo cupiens tantum insolentiam cohibere.

Quæ vero jactantur Sanctissimi Doctoris verba, restabat adhuc plenarium totius Ecclesiæ Concilium &c. Perperam & in contrarium sensum accipiuntur, nec approbationis verba sunt; sed increpationis ironica, quæ interjectam a Donatistis appellationem; tanquam postremum petulantia & audacia conatum, improbat, quasi diceret, nihil restabat adhuc audacie & imprudentiæ vestige, quam ut plenarium Ecclesiæ Concilium celebrari peteris, in quo Melchidae iudicium rescinderetur; quod siles impioque fecisset. Id unum ut tentaretis reliquum fuit. Uti plane viro facinoroso, in desperationem tandem acto solemus dicere: *Nil tibi restat, quam ut laqueo te suspendas: quod utique non probando dicimus, sed desperationem exaggerando.*

Ad Pontificiæ deficientiæ probationem Arianum inculant Felicem SS. R. P. Hoc probant, ex S. Hieronymi testimonio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Acacio. *Acacius Cesarientis in Palestina Episcopus tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constituerit.* Unde & ille in Romanorum Pontificum numero recensetur.

Respondeo, Arianum quidem fuisse Felicem, seu verius communicasse cum Arianis, antequam Romæ Pontifex esset: Pontificem tamen factum, usque adeo Arianis obstinisse, illisque fuisse infensum, ut eorum persecutione Martyrii coronam acceperit: Cujus idcirco memoria in antiquis Martyrologiis Bedæ, Ussardi, & Adonis extat ad diem 4. Calendas Augusti.

Accusatur & Zozimus fidei violatæ, quod Pelagium & Cælestium putidos hæresarchas, tanquam erroris puros absolverit, Ereticis & Lazarum illorum accusatores, tanquam malignos criminatores tradiderit; ut patet ex ejus Epistola ad Augustinum ejusque Collegas Africanos Episcopos data. Quod & videre est apud Augustinum *lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3.*

Constat nihilotenus, id fecisse Zozimum erroris facti, non juris; Hæresiarum dolis & artibus circumventam; quod illi errores suos porrecto libello supplici dissimulasset; correctionem & emendationem, si forte peccasset, spondidisset; & Sedis Apostolicæ iudicio sese submittere simulasset. Uti monet D. Augustinus *lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3.* *Quam se Litteris Papæ Innocentii, qui Pelagianam hæresim damnaverat, consentire Cælestius respondisset; & se omnia, quæ Sedis Apostolicæ damnaver, damnaturum esse promitteret.* Quare ubi Zozimus ex Litteris Africanorum Episcoporum intellexit, fuisse se a Pelagio & Cælestio delusum, eosdem ille damnavit atque proseripit. Ita D. Augustinus tum loco laudato, tum *lib. 2. de peccato originali Cap. 7.*

Addo, priorem illam Pelagii & Cælestii absolutionem a Zozimo R. Pontifice initio datam, solemne iudicium non fuisse ex juris formulis datum, sed Commendatiam duntaxat Epistolam, causæ illorum minime discussa ac ventilata, ad Præsules Africae datam. Quare si quid forte peccasset in dogmare, solemni iudicio peccasse Zozimus dici non potest.

Ex triuni Capitulum historia momentum petitur alterum, haud ita forte contemnendum, ut Vigilii R. Pontifex in errore Nestoriano aliquando fuisse demonstretur. Tria squidem Capitula, hoc est, Scripta Theodori Mopsuesteni, Scripta Theodoretæ Cyri Episcopi contra S. Cyrillum, & Epistolam Ibe Edesseni Episcopi ad Marim Perfarum, ut erroris pura & illibata defendite primum Vigilii R. Pontifex; eo maxime titulo, quod

in Concilio Chalcedonensi lecta illa fuissent, nec tamen ab iis Patribus reprobata. Postmodum damnavit eadem illa scripta, sub conditione tamen, salva scilicet auctoritate Concilii Chalcedonensis. Tandem Justiniani Imperatoris fusu illæ absolute damnavit, uti plena erroris atque perfidia; post quinti Concilii generalis celebrationem. Necessè igitur est, ut dum ea scripta probaret primum, in errore versaretur: Cum eadem scripta & probari & damnari, sine aliquo errore, non possint.

Obvia responsio est, errorem facti dogmatici illum fuisse, non juris, seu dogmatici atque doctrinæ. Nestorianismum enim & Eurychianismum perinde execratus est semper Vigilii Romanus Pontifex: unamque in Christo personam, geminamque naturam agnovit semper; de sensu tamen trium Capitulum aliquandiu dubitavit, in quam scilicet partem seu Catholicam, seu Hæreticam inclinarent: Eaque Capitula benignius quam par erat interpretatus, utriusque erroris pura esse judicavit; adeoque ea damnare noluit; tum quod ea indemnatam reliquisset Concilium Chalcedonense; tum quod eorum auctores jam fato cessissent, nec opportunum videretur, illorum manes sollicitare. Secutus tamen inde temporibus, trium Capitulum sensu diligentius, ac maturius expensio, felicis intellecto, eadem illa, ut erroris plus æquo faventia, damnavit. Quapropter qui in priori de illis iudicio contigit error, facti quod ajunt dogmatici fuit, non juris seu dogmatici, atque doctrinæ. Ita Vigilium excusat Pelagius II. Romanus Pontifex, Epistola ad Episcopos Hithriæ, & de mutata sententia laudat impense. *Si igitur in trium capitulum negotio, aliud, cum veritas quaereretur, aliud inventa veritate, dictum est: cur mutatio huic Sanctæ Sedi in crimine obijcerit, quæ a cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quare ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam deserens, verba permutat?*

Acrius multo & animosius factum Honorii R. P. urgere solent Pontificiæ indeficientiæ impugnatores. Honorius, inquit illi, datus ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum Epistolis, in Monothelitarum Hæresim incidit. Unam scilicet in Christo voluntatem professus est, unamque operationem: interimque æconomia causa, ac bonæ pacis studio, abstinendum censuit ab unius aut duplicis voluntatis vocabulo. Unde & in actis Sexti Concilii Œumenici act. 13. Anathema illi perinde dictum est, ac cæteris Monothelitis Sergio, Cyro, Pirritho, & Paulo: quod & in actis septimæ & octavæ Synodi confirmatum est.

Qui etiam Leo II. Successor ejus in Epistola ad Constantinum Imperatorem eundem incusat, quod fidem immaculatam subvertere conatus sit. Si tamen rem totam penitus perpendamus, compariemus, Honorium quidem imprudentem æconomia usum, indicoque unius aut duplicis voluntatis silentio, hæresi Monothelitarum oblique favisse; eandemque uti debuerat non illico repressisse; Monothelitam tamen re ipsa non fuisse; sed duas in Christo voluntates agnovisse, divinam scilicet & humanam. Quod ergo unam in Christo voluntatem obiter dixit in Epistolis ad Sergium datis, de Christo simpliciter ut homine dixit, quod una sit tantum in eo voluntas humana, tam secundum affectum, quam secundam Naturam; quod contra contingit in nobis, quibus ob contractum naturæ viciam, duplex voluntas secundum affectum inesse dicitur, spiritus nimirum & carnis. Patet id ex ipsa ratione, quæ Honorium unam esse in Christo voluntatem ostendit. Unam in-

inquit, in Christo Domino voluntatem fatetur, quia a Divinitate assumpta est natura, non culpa. Et paulo post, Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori: quia super legem natus est humane conditionis. Quae ratio si quid probat, id probat quae, fuisse in Christo ut homine unam voluntatem, confessione, affectu, atque concordia, absque ulla carnis ad Spiritum pugna. Pater id quoque ex testificatione Joannis Abbatis, qui in conscribendis Epistolis Honorio amanensis fuerat. Sic enim ille & suam, & Honorii mentem exposuit: Cum scripsisset Sergius, esse aliquos qui dicerent, in Christo duas esse contrarias voluntates; Rescripsimus, Christum non habuisse duas contrarias voluntates, Carnis inquam & Spiritus; sed unam tantum, quae naturaliter humanitatis eius character est. Id ita esse, evidenter ex hoc monstratur, quod membrorum & Carnis facta est mentis, quae divinitati eius non possunt attribui.

Quod vero ad ipsa spectat Acta Conciliorum generalium, in quibus Honorio Romanae Sedis Episcopo anathema dictum est, perinde ac ceteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo, quadruplex responsio suppetit.

Prima est Baronii, Bellarmini, Marchesii, aliorumque, qui corrupta vitiatque dicunt Acta sextae Synodi Oecumenicae; Graecorumque fraude insertum per summum nefas Honorii nomen, loco Theodori ab iisdem nefas. Quam tamen responsionem eraditi alii minus probant, minusque nos ipsi probamus. Etsi enim in Actorum exemplar, quod Constantinopoli ad futuram rei memoriam servatum est, interpolatrices manus immittere Graeci fortasse potuerint; non in alia tamen, quae in aliis Ecclesiis, puta Alexandrina, Antiochena, Ierosolymitana, maxime vero Romana, servata sunt; in quibus tamen omnibus insertum perinde legitur Honorii nomen. Quid quod idem insertum peraeque conspicitur in Actis septimae & octavae Synodi, in Epistolis quoque Leonis II., & Adriani II. aliorumque monothelitarum nominibus immixtum?

Alteri aliorum eruditorum responsio est; Sextae Synodi Patres ex errore facti dogmatici, Honorium vere Monothelitam censuisse, atque ita anathema illi dixisse; quod illius Epistola ad Sergium data sensus minus sint affectui. Qui error facti dogmatici fuit. Ea porro responsio, etsi Honorium a Monothelitarum errore liberum faciat, Pontifices tamen errare in fide posse concedit. Ex quo enim Sextae, Septimae, & Octavae Synodi Patres, Honorium in haeresim lapsam pronunciarunt (etsi non intellectus illius Epistolis, iudicium fecerint,) id pro certo supposuerunt, labi illum in haeresim potuisse. Nunquam enim cum lapsam in haeresim dicerent, quem in haeresim labi non posse pro certo ponerent.

Tertiae quoque frequentior Theologorum responsio est, Anathema Honorio fuisse dictum quod imprudenter economia, turpi focordia, ambiguis loquendi formulis, errori plus aequo faverit; non quod ipsum re ipsa tenuerit, ac docuerit. Quod amplioribus verbis declarat Leo II. Epistola ad Hispaniae Episcopos data, eundem ipsam inculsans, quod flammam haereticis dogmatis incipientem, non sicuti debuit, extinxit, sed negligendo consivit. Et Epist. ad Imperatorem Constantinum, Ecclesiam Apostolicam Traditionis Doctrina illustrare neglexit, fidemque immaculatam maculari permisit. Non ut falso recitant adversarii, fidem immaculatam subvertere conatus est: Quae spuria falsaque Graeci textus versio est.

Postrema responsio est, Epistolas Honorii ad Sergium datas, ex quibus sinistra illa propugnata

erroris suspicio nata est, & propter quas anathema dictum illi fuit, privato nomine scriptas esse, ut privatam de oborto Monothelitarum errore sententiam diceret; Non ut quidpiam ea de re Pontificia auctoritate definiret: Quod ad solemne Sedis Romanae iudicium efformandum est necessarium. Atque ita, si forte iis in Epistolis errorem purum putumque docuisset Honorius; colligi inde non posset, Honorium ex Cathedra, ut modo quaeritur, desinentem ac decernentem errasse; sed ut privatam doctorem, privatam scribentem Epistolam.

In eandem pari fidentia scenam inducunt audaciores Aristarchi Stephanum II. Summum Pontificem; ut qui fidem de materia Baptismatis violaverit, dum a Monachis Britannici Monasterii interrogatus, quid de Sacerdote sentiendum esset, qui periclitantes pueros aliquos, Vino baptizaverat, propterea quod aquae copia illi non esset, ita respondit Cap. 2. Rescripti ad Monachos dati: Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantes infantes baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa: Infantes sic permanent in Baptismo: Quasi dixerit, horum infantium baptismum ratum esse, atque ita non iterandum.

At non observant imprudentes, non satis authentica rescripti huius Pontificii inventiri documenta; unde mendosum esse plerique putant nec legendum, Infantes sic permanent in Baptismo, quasi absoluta locutio sit, quae ratum minimeque iterandum baptismum decernat; sed conditionata in hunc modum, nulla Sacerdoti adscribitur culpa, si infantes permanent in Baptismo, in vino suscepto: Ita quippe probati Codices habent. Stephanus ergo Rom. Pont. de valore Baptismi in Vino collati interrogatus non erat; quem nemo sane mentis dubitare poterat irritum esse; sed de culpa duntaxat hominis baptizantis quaerebatur; non videlicet aliqua censura plebendus esset. Hunc porro nulla culpa teneri, nullaque poena plebendum esse respondit Pontifex; quia cum aliud non posset, in extremo periculo, (cum non esset aquae copia,) id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari: Nec ipse in causa fuit, cur Infantes aqua Baptizati non sint, quae sola Baptismatis materia est.

Alterum Nicolai I. R. Pontificis responsum obijciunt, tanquam violatae fidei argumentum, ad Consulta Bulgarorum Cap. 104. Ubi de Baptismo a quodam Iudaeo, seu forte Pagano collato sententiam rogatus, valeret ne, an non, hoc illis responsum dedit: A quodam Iudaeo, nescitis, an forte Pagano multos in Patria vestra baptizatos asseritis; & quid de his sit agendum consultis. Profecto si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi Baptizati sunt, constet eos non esse demum Baptizandos. Quo responso decernit, contra quod fides habet, Baptismum in solo nomine Christi collatum, esse validum, atque ita minime iterandum.

Inconsulte tamen in eo Nicolai I. Responso cavillantur: In primis enim nec dum est Catholica fide certum, baptismum in solius Christi nomine collatum, nullum esse, atque ita iterandum. Quare etsi oppositum respondisset Nicolaus I. nihil contra fidem pronunciasse censendus esset.

Secundo. In Nicolai I. Responso duo accurate distinguenda sunt: Unum de quo a Bulgaris quaerebatur; quodque ex instituto decernit atque definit: Alterum de quo illi mota questio non erat, quodque obiter ac praeter institutum attingit. Primum tanquam Romanae sedis Oraculum excipendum est: Alterum ut privati doctoris opinatio habendum venit, & ex Cathedra minime profectum. Quod a Bulgaris quaerebatur, id unum erat;

erat; Num Baptismus a Iudaeo vel Pagano collatus validus esset; huncque validum definiuit Nicolaus, infidelitatemque conferentis nihil valori Baptismatis obijciisse pronunciat. Quod autem obiter & in transcurso, ac praeter institutum, non interrogatus attingit, distinctiva illa est responsioni assuta; Vel tantum in nomine Christi. Non ergo eo dato responso erravit Pontifex uti Pontifex, sed uti privatus Theologus, S. Ambrosii, quem in sententia suae confirmationem adducit, auctoritate delusus, Ita Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. Guillelmus Estius in 4. Sent. dist. 3. f. 3. Franciscus Silvius in 3. part. quest. 66. art. 6. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 12.

Luctuosam Formosi, & Stephani VII. Tragœdiam, saeculo 9. cadente, & 10. inneunte peractam, in memoriam revocant Pontificiae dignitatis olores; Ut ex repugnantiibus invicem RR. Pontificum iudiciis, ea in caussa latis, eorundem infidelitatem oppugnent. Stephanus VII. (ajunt illi) acta Formosi Papae praedecessoris sui in irritum misit, omnesque ab eo ordinatos reordinari iussit. Tum Joannes IX. & Theodorus II. acta ipsa Stephani VII. resciderunt, Formosique acta probant: Tandem Sergius III. iterum acta Formosi irritavit, & Stephani acta confirmavit. Aut ergo Theodorus & Joannes Formosi defensores in errore fuerunt, aut Stephanus, & Sergius errasse iniquissime convincuntur.

Respondeo: in tota illa tragœdia, in qua fatendum bona fide, duos illos Romanos Pontifices Stephanum & Sergium pessimum exulcerati animi exemplum dedisse; quaestio duntaxat facti motam fuisse, & quidem personalis, non juris; summa quippe quaestio erat, fuisse, ne Formosus legitimus Pontifex, seu ad eam dignitatem legitime electus, an per vim, & Simoniam intrusus? Quare qui acta ejus resciderunt Pontifices, illegitime electum arbitrantur; qui restituerunt, electum legitime iudicantur: Ubi quomodo tamen error fuerit, facti fuit error, & quidem personalis, non dogmaticus.

Urgent nihilofecius adversarii: qui acta Formosi resciderunt Pontifices, omnes ab eo ordinatos reordinari iusserunt: At in eo errarunt etiam in dogmate; cum ordinatio ab intruso Episcopo facta, sit valida atque ita minime iteranda. Igitur Pontifices illi non in facto duntaxat errarunt, sed & in dogmate. Eum tamen nodum solvunt pluribus modis Theologi. Bellarminus, Ordinationes illas Formosi iterari iussas, non ex Sententia Stephani VII. ex Tribunali lata, sed praecipiti iracundiae motu. Joannes Morinus, non esse certum aut saltem non esse dogma fidei, ordinationem imprimere characterem, atque ita non esse iterandam, dum ab Episcopo excommunicato, degradato, intruso confertur. Atque ita nihil contra fidem statuit Stephanus VII. dum ordinatos a Formoso iussit denuo ordinari. Addiderim etiam, Ordinationes a Formoso factas, iteratas non fuisse simpliciter & absolute, iis secundo peractis, quae ad substantiam spectant huius Sacramenti; sed secundum quid, nonnullis scilicet adhibitis ceremoniis, per quas ordinati prius a Formoso, atque ita a jure suspensi, liberam suorum ordinum executionem reciperent. Ita communiter Theologi.

Alterum Pontificum contra se invicem de fide pugnantium exemplum proferunt Adversarii, ut errare illos posse demonstrent. S. Hormisdas; inquit illi, hanc Monachorum Scytharum propositionem, ut haereticam damnavit: Unus de Trinitate passus & crucifixus est carne: quam postmodum Joannes II. approbavit in Epist. ad Justinianum Imperatorem, probanturque deinceps quinta Synodus

Ecumenica Cap. 10. & Concilium Lateranense sub Martino V. Can. 2.

Errore nihilofecius excusat ac longe depellit varius sensus, qui uni eidemque propositioni subijci potest. Hormisdas enim propositionem illam a Monachis assertam existimavit in sensu formalitatis atque reduplicantis, ut Viri de schola loquuntur; atque ita tanquam Eutychieanum damnavit. Christus enim passus mortuusque non est formaliter & reduplicative, ut Deus est, & una de Trinitate persona. Joannes vero laudataque Concilia assertam a Monachis propositionem existimavit in sensu, ut schola loquitur, materiali & specificante & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicam iudicavit. Quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit, quae, & passa & mortua est.

Caelestinus III. ab iisdem æmulis incusatur, quod in Decretali sua Laudabilem definiit matrimonium inter fideles contractum omnino solvi, si conjugum alter a fide defecerit: adeo ut qui perseverat in fide, possit alterum cum altero contrahere matrimonium. Sic porro definivisse Caelestinum, probant testimonio Innocentii III. R. Pontificis Cap. quanto, de divorciis. Ille enim de hac ipsa quaestione interrogatus, respondit quidem matrimonium eo etiam in casu non solvi, Mulieremque a viro in infidelitatem lapsa derelictam, alteri viro propterea jungi non posse; subiungit vero, licet quidam praedecessor noster alter sensisse videatur: Ad marginem vero notatur Decretalis Laudabilem Caelestini III. de Conversione Conjugatorum; Ubi non solum alter sensisse videtur Caelestinus, sed palam aperteque pronunciat. Non extat modo decretalis illa Caelestini in novis decretalium collectionibus, a quibus merito expuncta fuit, tanquam erronea; extat tamen in peculiari decretalium rejectarum collectione, quam ad eruditorum informationem Antonius Augustinus adhoravit.

Incusantur & alii Romani Pontifices, quod errorem alterum eidem affinem definiierint: matrimonium scilicet ratum cum uno solvi per Matrimonium consummatum cum altero. Idque illos definivisse liquet aperte, ex Responso Alexandri III. cap. licet, de Sponsa duorum: Ubi cum iuste meritoque decernat, ob superveniens matrimonium consummatum cum aliquo ratum praecedens cum alio solvi non posse, subiungit quoniam a quibusdam praedecessoribus nostris aliter sit aliquando iudicatum.

Ad quorum tamen Pontificum excusationem notare sufficiat, quantum ad nostrum attinet institutum, binas illas quaestiones de matrimonii solutione, seu dum conjugum alter a fide Catholica discedit, seu dum alter matrimonium cum tertio consummat, ad fidem minime pertinere. Atque ita si in iis decidendis solvendisque, falsi sunt aliqui RR. Pontifices, errasse in fide dici non possunt.

Addiderim tamen cum Melchioro Cano, hoc idem argumentum pertractante lib. 8. Responso RR. Pontificum, ad privatorum consultationes data, pro decidendis privatis conscientiae casibus, (qualia bene multa continentur in Jure Canonico) non illico censenda esse solemniter & ex Cathedra pronunciat: nisi praemissa Ecclesiae Romanae consultatione proferantur. Tunc enim solum, & non aliter ex Cathedra, seu ex tribunali iudicare Pontifices reputantur. Porro verisimile non est, Caelestinum III. ceterosque Pontifices, ad binas illas de matrimonii solutione quaestiones respondisse, praemissa illa Ecclesiae suae consultatione. Atque ita si tunc errarunt, (uti profecto errasse illos certum est) solemniter seu ex Cathedra

dra, atque ex Tribunali Pontificio non errantur, quod unice in presentia disputamus.

Erroris nota, affricatur & Alexandro III. quod pempe cap. cum esset, de Testamentis declaravit, alienum esse a generali Ecclesie consuetudine, & a Divina Lege & Sanctorum Patrum institutis, ut Testamenta, nisi quinque vel septem testium fuerint subscriptione munita, penitus rescindantur, precepitque sub pena excommunicationis, ne ullus rescindat Testamenta cum tribus duntaxat testibus condita. Qua in re falsum in fide Alexandrum contendunt; ut qui pronunciet legem aliquam esse Divinae contrariam, quae re vera contraria non est.

Audacter nimis & inconsulte, Alexander enim non id statuit universim pro quibuscumque Testamentis, sed pro iis duntaxat, quae sunt ad pias causas, de quibus Ecclesia ex propriis legibus iudicat; nec pro toto Orbe Christiano, sed pro statu Ecclesiastico, ipsi non spiritualiter, sed ut temporaliter subiecto; pro quo potest Pontifex pecuniarias leges condere, legibus civilibus communi usu servari solitis, repugnantes.

Productur in errantium Pontificum Cathologo Bonifacium VIII. propterea quod tanquam fidei caput ab omnibus fidelibus credendum proposuerit, *Omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus*: qui tamen intolerabilis est error in fide. Imo quod hoc idem in celebri decretali *Unam Sanctam*, inter alia capita definitur; quae idcirco a Clemente V. R. P. in Concilio Viennensi, rescissa est.

Sed est illa per omnia capita calumnia purdissima. Primum quod obtruditur falsissimum est. Imo extat Oratio a Bonifacio VIII. habita in publico Consistorio anno 1301. quam Spondanus refert in Annalibus, qua nihil se huiusmodi pronunciasse profiteretur. Hancque sibi calumniam impastam quaritur a Petro Flotta, qui Epistolam ipsius nomine supposuerat, ubi haec insulitas habebatur. Extat & Epistola Cardinalium, Regni Nobilibus scripta, qua Bonifacium nihil huiusmodi vel scripsisse vel somniasse contestantur.

Alterum quod subijcitur perinde falsum est. In decretali enim, *Unam Sanctam* hoc unice definitur, *subesse Romano Pontifici, omnino esse de necessitate salutis, omni humana creatura*. Quod certe de subiectione in spiritualibus est intelligendum; iisdemque ferme verbis in Concilio Lateranensi sub Innocentio IV. *sessione IX.* definitum est, non de subiectione in temporalibus.

Tertium, quoque aequum falsum est: Clemente V. Constitutionem *Unam Sanctam* rescidisse; cum eam ille duntaxat exposuerit in Capite *Meruit*; eam scilicet intelligendam esse decernens, ut nullum ex ea praerudicium Regi Regnoque Galliarum sit illatum. Imo cum anno 1310. Bullam edidisset Clemens V. qua varias Bonifacii VIII. Constitutiones in sexto Decretalium minime contentas antiquasset; Constitutionem tamen *Unam Sanctam* perinde ac antea stare voluit, iis temperamentis enollitam, quae in Capite *Meruit* a se fuerat adhibita.

Equidem, ut fatear bona fide quod res est, nonnulla in decretali *Unam Sanctam* obiter inserta sunt, unde facile colligi possit, sensisse Bonifacium VIII. Principum Christianorum dominia, sua minus directe, at saltem indirecte Romanorum Pontificum auctoritati subesse, si a fide quam professi sunt ipsi deficiant. Verum etiam eam sententiam ego minime probem, fatendum tamen est, eam contra fidem minime pugnare; imo & a viris summe Catholicis, omni retro etate fuisse defensam, ac etiam in presentia defendi. Ut vel sic pateat, nullam violatae fidei labem Bonifacio

VIII. iniuri posse; quod ita forte senserit, ac etiam ex Cathedra pronunciaverit.

Bonifacium IX. a nonnullis reprehenditur, quod Indulgentias Mediolanensibus concesserit, juri Divino ac naturali palam aperteque repugnantes. Scribit enim Bernardinus Corio in historia Mediolanensi parte 3. Bonifacium peculiari diplomate indulgisse, ut in Dominio Vice-Comitum, uniusquisque a quocumque peccato esset absolutus, tamen nec contritus nec confessus esset: *Che c'ha scbedano del Dominio del Visconti, se anche non fosse contrito ne confessato, fosse assolto di qualunque peccato*; Modo certam pecuniam summam in pauperes erogaret, & ad certa Divorum templa refarcienda conferret. Annon ille spissus est error in fide, posse quempiam, nec contritum nec confessum a quibusvis peccatis absolvi? Quare & hanc Indulgentiam admodum extraordinariam fuisse notat Historicus. Non est tamen quod in ea Bonifacii Indulgentia reprehendatur, si qualis ipsa fuerit attendatur.

Si verum est quod Corio narrat, id dictum est de absolute quoniam ad penam Canonice, ex publica Ecclesie lege peccatis debitam; non quantum ad culpam, & penam aeternam ex Divina iustitia subeundam. Per viam enim Indulgentiarum possunt penae Canonice hominibus nec contritis, nec confessis aliquando dimitti; quemadmodum possent & ipse censura Ecclesiastica, excommunicatio, suspensio, & interdictum, hominibus minime poenitentibus, imo etiam nolentibus relaxari; quamquam culpe ipsae poenitentiae ex Divina iustitia subeundae, absque poenitentia minime relaxentur. Idcirco vero Indulgentiam a Bonifacio Mediolanensibus datam, *extraordinariam* dixit laudatus Historicus; quia non solent Romani Pontifices a solis Canonice poenis absolvere, ut fecit ea occasione Bonifacius; sed & a culpis & a poenis ex Divina iustitia subeundis; idque partim virtute Indulgentiarum, partim virtute Sacramenti. Si porro scire aves, quamvis illae Canonice poenae sint, a quibus solos Mediolanenses ex Dominio Vicecomitum absolutos voluit Bonifacius, tamen forte neque contriti essent neque confessi, lege Canonice poenitentiales a S. Carolo Borromeo pro Decalogi ratione dispositos, & ex antiquis Patribus & Conciliis, nec non ex Poenitentiali Bedae, ex Poenitentiali Rabani, ex Poenitentiali Romano nec non ex Burchardi Wormatiensis, Anselmi Lucensis, Yvonis Carnotensis, & Gratiani collectionibus, maximam partem descriptos.

Bina accusatione ab aemulis oneratur Joannes XXII. Primum quidem quod animarum plene & integre purgatarum felicitatem, Deique visionem, quam *facie ad faciem* scriptura vocat, post ultimam corporum omnium resurrectionem, differendam docuerit, ac etiam suprema auctoritate definitur. Quod utique de illo testatur Hadrianus VI. in suis ad 4. *sent. Commentariis Dist. 7.* Imo probatis Historiae monumentis constare dicunt, Joannem errorem illum tam servide diffeminasse ac promovisse, ut iis pinguis beneficia conferret, qui eum ex Sacro suggestu populis praedicarent: Generalem etiam Franciscanorum Ministrum nomine Gerardum *Paristos* delegasse, ut eundem illum errorem ad Academia Parisiensi suscipi curaret: Virumque ex adverso Religiosum ex ordine Praedicatorum Thomam Valesium in carcerem conjici jussisse; quod eum errorem e Sacro suggestu apostolica libertate confutasset.

Calumniam dixi Joanni XXII. impastam, nec elapsi verbi possidet. Quamquam enim negari omnino non possit, Joannem XXII. in eam sententiam, quae animarum plene purgatarum felicitatem,

tatem, post corporum resurrectionem differt, admodum inclinasse, propendisse, ac si lubet totis viribus promovisse; Illud tamen peraeque certum est, nihil cum ex Cathedra, ut ajunt, atque suprema auctoritate definitur. Liqueat id primum, ex solenni declaratione, quam morte proximus scripro dedit, iquamque ex integro refert Odoricus Raynaldus in Annalibus ad annum 1334. Liqueat secundo ex Joanne Villani illius aevi scriptore celeberrimo *lib. 10. Historiarum cap. 10.* Liqueat tertio ex publico documento Academiae Parisiensis, Galliarum Regi Philippo Valesio dato, anno 1333. quod integrum retulit Joannes Coeseteus Episcopus Massiliensis, in *Responso ad mysterium iniquitatis Philippi Mornei*. Quae tria Hadrianus VI. contrarium obiter attestantis suffragio longe praeponderant. Cum is post annos circiter ducentos floruerit, eaque de re obiter dixerit, in suo ad 4. *sententiarum librum Commentario*, nonnullum Ecclesiae Pontifex factus, sed privatus Theologiae Doctor, ac Professor in Academia Lovanensi.

Quod de generali Franciscanorum Ministro jactatur perinde falsum est. Reclamavit enim in oppositum Joannes XXII. datis ad Regem Galliarum Epistolis; quibus contestatus est, se alio alioque consilio Ministrum illum in Gallias delegasse, ut scilicet de pace ageret, inter Reges Galliae & Scotiae faciendam.

Quod Thomam Valesium attinet, monet Odoricus Raynaldus, fuisse illum in carcerem conjectum, non quod errorem, de dilata ad diem usque iudicii animarum purgatarum felicitate, simpliciter confutasset, sed quod debita modestiae modum excessisset; Pontificemque, cujus erat publice nota contraria sententia, pessimis modis habuisset; atque injuriis verbis affecisset.

Alter, qua oneratur Joannes XXII. accusatio struitur ex historia controversiae, quae cadente saeculo decimotertio a Franciscanis excitata est, de religiosa paupertate, quam ipsi ad amissum, atque ad exemplar Christi D. profiteri gloriabantur; Joanne XXII. contraria Nicolao III. Pont. Maximo statuate ac definitae. Definierat scilicet Nicolaus III. Fratres Franciscanos veram profiteri Evangelicam paupertatem; propterea quod nullius omnino rei dominium haberent, ac nequidem panis, quem ederent, & Vini quod biberent; sed usumfructum duntaxat haberent; horum vero dominium stare penes Summum Pontificem. Addiderat Nicolaus, Christum D. perfectissimae paupertatis una cum Apostolis exemplum dedisse, nihilque prorsus etiam in commune habuisse cum ipsis; ut videre est in *Cap. Exiit, de verborum significatione, in sexto. Contrarium vero subinde definiit Joannes XXII. in Extravaganibus*: Nempe in rebus usu consumptibilibus, (qualia profecto sunt Panis & Vinum) usumfructum a dominio separari non posse; atque ita privatos Franciscanos Dominos esse, & panis quem ederent, & vini quod biberent, illa tamen quod emiserant strictissimae paupertatis voto. Addidit Joannes, Christum D. aliquid in commune cum Apostolis habuisse: atque ita non obesse voto Evangelicae paupertatis, si quid Viri Religiosi in commune possident. Ex hac porro duorum Pontificum, tam contraria de paupertate Evangelica statuentium disensione, alterutrum errasse, avidissime colligunt Pontificiae indigentiae impugnatores.

Cui tamen depellenda calumniam, satis sit observare, totam illam controversiam, quae Ecclesiam universam diu multumque male torfit, ad fidem nihil attinere; sed fuisse in materia utrinque probabilis: atque ita a duobus illis fuisse judicium.

dicatam bona gratia; & ad sedandos turbatos Fratrum animos, juxta probabiliter terminos. Idcirco illorum Pontificum nullus errasse in fide convincitur, nec Nicolaus III. nec Joannes XXII.

Disputant enim vero Jurium periti, an in rebus usu consumptibilibus, maxime vero comestibilibus & potabilibus, usumfructus a dominio divelli possit? negant id aliqui hoc nixi momento: *Ille est vti Dominus, qui jure eam destruere potest, destruitque re ipsa: sed qui panem edit, vinumque bibit, ea necessario destruit, edendo atque bibendo: illorum igitur Dominus est*; atque ita usumfructus a dominio non sejungitur in hujusmodi rebus. Oppositum tamen alii tenent, qui satis non esse putant, ut quis rei alicujus Dominus censetur, si eam utcumque ad naturalem usum destruere possit; sed ultra necesse esse, ut eam possit omni prorsus modo destruere; eamque possit, si libuerit, donare, vendere, commutare, projicere, atterere, igne absumere. Porro, subjungunt illi, privati Franciscani religiosi Viri, usum habentes, quem ipsa illorum natura ad sui sustentationem postulat, panis quem edunt, vinum quod bibunt; ea tamen donare non possunt, vendere, commutare, projicere, igne absumere: Igitur usumfructum illorum habent, sine pleno dominio. Atque ita apud illos usumfructus a dominio sejungitur, quod penes solum restat Pontificem Romanum.

Disputant pariter Sacrarum Scripturarum Interpretes, Num Christus & Apostoli, secundum varios vitae status, aliquid quandoque in commune habuerint? an arcam illam paupertatem, qua nihil etiam in commune possiderent, toto vitae decursu coluerint? Extant enim in utramque partem Sacrorum Evangeliorum Oracula. *Matth. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris &c. Matth. 8. Filius hominis non habet ubi reclinet Caput suum Luca 8. Mulieres ministrabant ei de facultatibus suis. Quae saepe probare videntur, nihil eos in commune habuisse. E contrario Joann. 13. Judas loculos habuisse legitur, & quidem tanquam communis ceteris Apostolici procurator. Joann. 4. Christus discipulos in civitatem misisse legitur, ut emerent cibos. Et Joann. 13. Christus aliquid egenis dari jussit. Quae contra videntur innuere, Christum Dominum aliquid in commune cum Apostolis habuisse. Ex quibus facile colligas, in materia utrinque probabilis pronunciasse Joannem XXII. & Nicolaum III. Arque ita quidquid seu vere seu falso indicari, nihil contra fidem errasse.*

Sunt & alii qui Gregorium III. incusant, quasi qui Ecclesiae fidem, quam de indissolubilitate Matrimonii Catholica profiteretur Ecclesia, ex Tribunali violaverit; dum a Bonifacio Moguntino Episcopo, de variis Capitibus interrogatus, qualiter de iis tenet ac doceat Romana Ecclesia, hoc illi per Epistolam responsum dedit: *Quod proposuisti, si Mulier infirmitate correpta non valeat debitum Viro reddere, quid ejus facere debeat jugalis? Respondeo, bonum esset si sic permaneret ut continentia vacaret: Sed quia hoc Magnorum est, ille qui se non potuerit continere, nubat magis. Nempe definit, inquit, Gregorius III. Mulieris illius Virum, qua pro infirmitate debitum conjugale reddere nequit, Uxorem alteram ducere posse; quod certe erroneum est. Unde Gratianus, in hoc Gregorii III. Responsum, ex Cathedra datam intendens, 3. parte decreti *Causa 32. quest. 7.* hanc illi notam seu glossam appinxit: *Illud Gregarii dictum Sacris Canonibus, & Evangelica doctrina adversatur.**

Non est tamen ita ut fingunt morosi censores.

Responsum quippe Gregorii de ea muliere intelligendum est, quae debitum viro reddere nequit, propter infirmitatem Matrimonium praecedentem, quaeque perpetuam impotentiam adiunctam habet, sed ante Matrimonium non innoverat. Quod utique Responsum sic intellectum, tantum abest ut Sacris Canonibus & divino Juri adversetur, ut potius congruat maxime toto ferme titulo *De frigidis & Maleficiis*.

Quare Gratiani nota rejicienda est, uti Pontificiae dignitati injuria & imprudens. Mirumque omnino est, non fuisse illam expunctam a Decreti Correctoribus, a Gregorio XIII. ad illius emendationem deputatis. Sed de Decreto ipso emendando cogitarunt illi, non de Notis ad Decretum castigandis. Unde & alias tam multas intactas reliquerunt, quae eruditorum judicio, spongia longe magis egebant.

Instant nihilofecius, eundem Gregorium III. Capitibus 1. & 4. praecipisse: *ut qui baptizati sunt a Paganis* aliique Judaicorum rituum observatoribus, in Nomine Sanctissimae Trinitatis baptizentur.

Obvia responso est: Ita respondit Gregorius ad cautelam, quia de utriusque dubitabatur, an ab iis servata esset Evangelica forma, invocato scilicet SS. Trinitatis. Non ita tamen faciendum injunctum est, si illos Evangelicam formam servasse constiterit.

Innocentium VIII. in errore versatum aliqui dicunt, dum anno 1439. Privilegium Abbatibus Cisterciensibus dedit, ut subditos sibi Monachos ordinare Diaconos possent. Quod privilegium legisse testatur Vasquesius *disput. 143. in 3. partem S. Thomae*, & in Collegio Complutensi servari.

Quibus respondeo primo. Lapsam illum Innocentii VIII. in fide non esse, sed ad disciplinam potius pertinere. Unde privilegium exorbitans dicitur a Navarro *lib. 5. Consiliorum* non error in fide.

Respondeo secundo; Vasquesium sua perspicillia fecisse. Quandoquidem hoc ipsum privilegium vidisse se quoque testatur Franciscus Victoria *in summa N. 235.* Et de Subdiaconatu duntaxat conferendo, facultatem elargiri. Quin etiam Benfoni *lib. 2. de anno Jubilei*, Innocentii VIII. privilegium in eo tantum positum dicit, ut possent Cistercienses Abbates Litteras Dimissoriales suis Monachis dare, ut a quocumque Episcopo ordinentur, nulla habita distinctione Diaconon & Provinciarum. Et ita non solum Romae fuisse declaratum, ait, a Sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1592. verum etiam a Clemente VIII. in Bulla Cisterciensibus data. Unde nec Cistercienses, nostra Patrumque memoria eo fidei privilegio sunt usi.

Gravior longe multo in Sixtum V. intenditur criminatio: Quod nempe solemniter diplomate Sacris Bibliis praefixo, non modo errarit in fide, sed & ipsam primariam fidei regulam vitariit atque corruperit. Factum hujusmodi est. Vulgatam Scripturae Sacrae utriusque Testamenti versionem, ad fidem veterum Codicum corrigi & emendari curavit Sixtus V. eandemque sic emendam, legendam Universis fidelibus proposuit, indicta Anathematis poena omnibus ac singulis, qui eam ut authenticam non agnoscerent; alianve in Scholis, scriptis, sacrisque Congressibus usurparent. Vix tamen circumferri cepit Editio sic emendata, cum statim a Viris Eruditis linguarumque peritis observata in ea sunt menda longe plurima, quae ad numerum supra milleimum collecta sunt a Thoma Tamelio, in Academia Oxoniensi Artium Magistro, in libro cui titulum dedit

Bellum Papale. Quibus postmodum excitatus Clemens VIII. omnia quantum fieri potuit publicatae Editionis exempla intercepti iussit; novam diligentioreque vulgatae versionis emendationem, pristinis purgatam erroribus, procuravit; pristinum Sixti V. diploma suppressit, novaque Constitutione Apostolica Editionem illam novam purgatam, emendatamque fidelibus legendam dedit, stricteque mandavit.

Conatu nihilominus irritum factum illud, ad oppugnandam Romanorum Pontificum asphaliam obtruditur. Sixtus enim in ea publicanda Bibliorum editione, minus tunc emendata, minus tunc correcte, nihil saltem contra fidem peccasse convincitur: Cum nullum omnino mendum in ea relictum, Fidem laederet, aut etiam mores attingeret; Sed omnia in minutulis grammaticae sphaematibus, in levibus a Graeco & Hebraico textu dissonantiis, & logomachiis versarentur: quae ne omnia quidem secutis inde temporibus, sub Clemente VIII. sunt emendata, imo non pauca haec relicta; ut ex praemissa novo operi praefatione notum est. Sed nec quidquam falsi diplomate suo dixit Sixtus V. dum correctam emendatamque Bibliorum editionem publicare se dixit: quia non correctam emendatamque simpliciter dixit, sed pro ut optime fieri possit. Ex certa nostra scientia, ait ille in Praefatione; atque Apostolica auctoritatis plenitudine, statimus ac declaramus, eam vulgatam Sacrae Scripturae, tam veteris quam novi Testamenti, latinam Editionem, quae pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione aut controversia, censendam esse hanc ipsam, quam nunc pro ut optime fieri possit emendatam, ex Vaticana Typographia impressam, in universa Republica Christiana, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis legendam vulgavimus.

Alia multa supersunt hic errantia in fide Pontificum diluenda momenta, sed quoniam fat temporis non suppetit, idcirco in diem alteram mitimus majori otio refellenda.

PRÆLECTIO IX.

Satisfit aliis exemplis, contra Pontificum infallibilitatem in fide, in contrarium fieri solitis.

Eti in superiori Praefatione funditus a nobis evertae sunt, disiecta, dirutaque ea omnia errantia in fide Pontificum exempla, quae adversa Sententiae vindices Pontificiam indeficientiam oppugnare moliantur: Nihil tamen minus acerrimis impugnantibus non deest ingenium atque industria, ut tot allatis & undequaque congestis exemplis alia aliorum nonnulla subjiciant, ut alios longe plures ostendant, qui si non re ipsa errarint, errare tamen posse potuisseque professi sunt, suorumque errorum, si quae forte contigissent, veniam postularunt.

Id ut praesent, in his primum Leonem IV. obtendant, qui *Canone, si incompetenter; Causa 2. quest. 4. Ludovicum Augustum Galliarum Regem alloquens, inquit; si incompetenter aliquid egimus, & in abditis jure legis transivimus non conservavimus, vestro vestrorumque missorum cuncta volumus emendari judicio.*

Alter est Innocentius III. *Serm. 2. de consecratione Pontificis; In tantum mihi fides est necessaria, ut cum de ceteris peccatis Deum solum Judicem habeamus, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possent ab Ecclesia judicari.*

Et *Serm. 3. Propter fornicationis errorem, potest Ecclesia Romana dimittere seu repudiare Pontificem.*

Sequi-

DISPUTATIO V. PRÆLECTIO IX.

Sequitur Gregorius XI. in Testamento quod morti proximus scripsit die 15. Maii anno 1734. & in publicis tabulis referri voluit; legiturque modo Tomo 6. *Spicilegii Lucie Daberi*. Item volumus, dicimus, & protestamur, ex certa nostra conscientia, quod si in Consistorio, aut in Consiliis, vel Sermionibus, vel collationibus publicis, vel privatis ex lapsu linguae, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam latitia inordinata, aut praesentia Magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo publice, ut tenemur, praeter ceteris profitemur, colimus, & colere cupimus; seu forsitan adhaerendo aliquorum opinionibus contrariae fidei Catholicae, Scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus, contra Catholicam Religionem obloquentibus; illa expresse, ac specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.

Similia protestatus est Clemens VI. in Diplomate dato 7. Ius Decembris 1351. *Nos qui inter peccatores peccator vicinimus, infirmitatem nostram praesentia passibus metientes, si qua dudum in minoribus constituti, & postquam ad fastigium Apostolicae dignitatis Divina bonitas dignanter potius, quam digne provexit, nos disputando, legendo, praedicando, et alias contra veritatem Catholicam & fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguae precipitantes forte protulimus; revocamus & volumus pro revocatis habere; & ea omnia Sedis Apostolicae auctoritati submittemus, & supponimus corrigenda.*

Similia quoque Urbanus V. morti proximus declaravit Confessario suo aliique familiaribus anno 1370. de quibus lege Natalem Alexandrum Tom. 7. *Hist. Eccles. in Clemente VI. & Urbano V.* Idem factus est S. Gregorius M. *lib. 1. Dialog. Col. 21.*

Accedit quod Clemens IV. in Rescripto ad Abbatem Casae Dei respondit, dum in nonnulla Monasterio suo privilegia concedi postulare. *Comperimus, inquit, Praedecessores nostros Monasteriis dedisse privilegia divino juri, & humano contraria, quae rationabiliter annullare possemus.*

Is acinuit Paulus IV. qui a Rege Galliarum rogatus, ut Matrimonium per verba de praesenti contractum, inter ducem de Moamorancii, & Comitissam Pienazam rescinderet, Congregationem Praelatorum & Theologorum instituit, ut ipsi diligentius examinarent, quid hac in re posset Romanus Pontifex, eosque ad se vocatos his verbis affatus est: *Ne quaso vos terreat decessorum meorum facta & exempla; qua eatenus sequi volo, quatenus scripturae auctoritas, & Theologorum rationes nos ad illud agendum inducant. . . . Non dubito quin & ego, & decessores mei errare aliquando poterimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis veterum generibus. Ita refert Joannes de la Haye, qui praesens aderat, ejusque narratio ut & in antecedentibus diximus, in Michaelis Caselnavi Malvisserii Tomo 2. Commentariorum, de integro fertur.*

Respondeo: Laudatos Romanos Pontifices ultro citroque factos esse potuisse, se fasque decessores errare, non utique dum de fide & sacro Tribunali, seu ex Cathedra pronunciant, uti supremi Ecclesiae Judices; sed dum pro conditione privatorum Doctorum de rebus ad fidem minime pertinentibus pronunciant. Concessio quippe Privilegiorum, uti & rescissio Matrimoniorum (in quibus errare posse Pontifices, facti sunt Clemens & Paulus) ad difci-

plinam Ecclesiasticam pertinet, non ad fidem. Opponitur loco ultimo Hadriani VI. *Saffragium in Comment. ad lib. 4. Sent. scribentis dist. 7.* ubi conceptissimis verbis habet: *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare etiam in his, quae tangunt fidem, Haeresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo. Plures enim fuisse Pontifices Romani haereticos.*

Respondeo: Commentarios illos ab Hadriano fuisse editos ante Pontificatum adeptum, dum publicus Professor esset in Academia Lovanienii: atque ita suffragium illud esse non Hadriani VI. sed Hadriani Florentii, privati Theologi, non Romani Pontificis. Imo verisimilimum est, Hadrianum Pontificem factum, eo in capite mutasse sententiam.

Neque obest, quod Hadrianus VI. etiam Pontifex factus, suos illos Commentarios novis Romae typis edi voluerit, praefixo etiam in fronte stemmate Pontificio, quin vel verbum ad eum locum immutaverit. Id enim fortasse fecit, non ut se pristinae sententiae tenacem ostenderet; sed ut suae illius sententiae, quam Lovanii quondam docuerit, certum extaret posteris monumentum. Equis etiam certo sciat, an suos ipse Commentarios recognoverit Pontifex factus, qui aliis longe pluribus, iisque melioribus curis erat occupatus? An etiam Romanam illam Editionem adornari jufferit, sub ipsum Pontificatum initium antequam pristinam sententiam, occasione dispensationis Galapioni concessae ministrandi Sacramentum confirmationis, mutasset? Nihil itaque ex illa curata Romae Commentariorum Editione, in qua nihil legitur immutatum, extundi potest, ut Hadrianum VI. sententiam pristinam minime mutasse colligi possit: cum aliud extet non leve mutata ab eo sententiae monumentum.

Supereff Momentum unicum, a ratione petitorum. Si Papa in ferendo de fide solemniter iudicio errare non posset, superflua essent Concilia generalia ad haeresem damnationem: Quandoquidem possent a solo Pontifice infallibiliter proferri atque damnari.

Respondeo, non esse absolute necessaria Concilia Oecumenica, ad certam & infallibilem Haeresum damnationem: Cum tam multa sine celebratis Conciliis damnata sint Haereses tribus prioribus Ecclesiae Saeculis, ante Concilium Nicaeni I. celebrationem, ac secutis etiam inde temporibus: esse tamen quandoque necessaria, tum ad coercendam Haereticorum pertinaciam, qui unius R. Pontificis iudicio stare nolunt, quem in ferendo iudicio falli posse dicunt: tum ad ostendendam omnium Ecclesiarum in errore aliquo damnando consensionem: Ad quae duo medium est ordinarium Concilium generalis convocatio. Patet id exemplo Concilii omnium primi in Ecclesia celebrati, Hierosolymitani scilicet, temporibus Apostolicis. Controversia Aetiochiae orta fuerat Judaeos inter atque Gentiles ad fidem convertendos, essent ne Legalia necessario servanda. Nemo Apostolorum illic erat, qui controversiam illam solus definire non posset, iudicio profus infallibili, cum essent illorum singuli indeficientiae in fide privilegio a Christo donati post effusionem Spiritus S.; Concilium tamen Hierosolymis actum est, ad quod convenere Apostoli omnes, qui illic aderant, & seniores, ut negotium illud in commune conferrent. Hujusque Concilii audito iudicio turbatorum fidelium sedati sunt animi, & in eandem Sententiam reconciliati.